

catholicæ Ecclesiæ discedere satis habent, nisi et alios in errorem impellant (1). Has aliasque id genus velut tempestates, quibus agitanda esset navicula Petri, divinus Servator et distinctè prænuñtiavit, et memoria retineri voluit, *ut, cum venerit hora, eorum reminiscamini, quia ego dixi vobis.* (Joann. XVI, 4).

§ II.

CONSECTARIA.

Prænuñtiatio calamitatum omnium Ecclesiæ Christi identidem incumbentium, unaque promissa a Christo firmitas, seu indefectibilitas ejusdem saluberrima in se continent documenta, tanquam consecraria, ad ejusdem Ecclesiæ naturam intimiùs noscendam peridonea. Eorum præcipua hic attexam totidem verbis, quibus a Leone M. proposita sunt in litteris ad Rusticum narbonensem episcopum datis anno 458, vel 459. Molestiis officii episcopalis et adversis Ecclesiæ rebus perturbatus renuntiare muneri suo cogitabat, sed a sancto pontifice doctus est: 1. Ob calamitates Ecclesiæ non esse decedendum de officio: 2. Etiam pacificis Ecclesiæ temporibus non deesse res adversas: 3. Nihil sine Christo, omnia per Christum homines posse: 4. Promissorum Christi veritatem non infirmitate humana, sed ope divinæ gratiæ niti. Quæ quidem hisce verbis a summo pontifice ac doctore enuntiata sunt (2).

1. Miror dilectionem tuam in tantum scandalorum quacumque occasione nascentium adversitate turbari, ut vacationem ab episcopatus laboribus præoptare te dicas, et malle, in silentio, atque otio vitam degere, quam in his, quæ tibi commissa sunt, permanere; dicente verò Domino: *Beatus qui perseveraverit usque in finem, et erit beatus perseverantia, nisi de virtute patientiæ? nam, secundum apostolicam prædicationem, omnes qui voluerint in Christo pie vivere, persecutionem patientur.*

2. Quæ (*persecutio*) non in eo tantum computanda est, quod contra christianam pietatem aut ferro aut ignibus agitur, aut quibuscumque suppliciis; cum persecutionum sævitiam suppleant et dissimilitudines morum, et contumaciæ inobedientium, et malignantium tela linguarum: quibus conflictationibus cum omnia semper membra pulsantur et nulla piorum portio a tentatione sit libera; ita ut periculis nec otia careant, nec labores, quis inter fluctus maris navim diriget, si gubernator abscedat? quis ab insidiis luporum oves custodiat, si pastoris cura non vigilet? quis denique latronibus obsistet et furibus, si speculatorem in prospectu explorationis locatum ab intentione sollicitudinis amor quietis abducat? Permannendum ergo est in opere credito et in labore suscepto. Constanter tenenda est justitia et benigna præstanda clementia; odio habeantur peccata, non homines. Corripiantur tumidi, tolerantur infirmi, et quod in peccatis severiùs castigari necesse est, non sævientis plectatur animo, sed medentis.

3. Ac si vehementior tribulatio incumbuerit, non ita expavescamus, quasi illi adversitate propriis viribus resistendo, cum et consilium nostrum et fortitudo sit Christus, ac sine quo nihil possumus, per ipsum cuncta possimus.

(1) Loquentes perversa, ut abducant discipulos post se. Act. XX, 30. Seducutores errantes, et in errorem mittentes. II Tim. III, 13. Docentes, quæ non oportet turpis luci causa. Tit. I, 11.

(2) Tom. I, op. S. Leonis M. Edit. Venet. Epis. 167, cum prævio monito Ballerinorum contra Quesnellum.

4. Qui confirmans prædicatores Evangelii et sacramentorum ministros: *Ecce ego, inquit, vobiscum sum omnibus diebus usque ad consummationem sæculi.* Et iterum: *Hæc, inquit locutus sum vobis, ut in me pacem habeatis; in hoc autem mundo tribulationem habebitis; sed bono animo estote, quia ego vici mundum.* Quæ pollicitationes, quia sine dubio manifestæ sunt, nullis debemus scandalis infirmari, ne electioni Dei videamur ingrati, cujus tam potentia sunt adjutoria quam vera promissa.

§ III.

INDEFECTIBILITAS ECCLESIE.

Quando Ecclesiam sanctam non obstantibus inferorum insultibus, hominumque impiorum conatibus, singulare promissione gratiaque Christi semper unam sanctam, catholicam et apostolicam permansuram cogitamus, eandem *indefectibilem passivè* intelligimus. At dum eidem a Christo collata esse cogitatur auctoritas per se sufficiens et a promissa assistentia Spiritus sancti proveniens, qua unitatem, sanctitatem, universalitatem et apostolicam doctrinæ ac sacerdotii derivationem conservet; qua infallibili judicio verum a falso, honestum a turpi, pascua salubria a venenatis discernat, ac dijudicet, eo sensu eidem *indefectibilitas activa* attributa, propriaque facta est. Theologi ex Scriptura et traditione invictè demonstrant Ecclesiam esse judicem infallibilem in definiendis controversiis fidei ac morum; quo sublato religionis fundamento, totum ædificium vacillat, tanquam supra arenam, non petram ædificatum, ita ut nullibi firmo pede consistere quisquam possit. Huic inconcusso dogmati respondent consecraria et animadversiones maximi momenti:

1. In Ecclesia exstat potestas et auctoritas attrahendi ad unitatem fideles, eosque continendi in unitate fidei et communionis; ei potestate respondent eorundem certissima obligatio Ecclesiæ obtemperandi, ac propositæ definitioni præstandi assensum etiam internum, qui ex jure naturali revelationi divinæ debitus est: revelationem autem divinam infallibiliter proponit Ecclesia.

2. Hinc jure factum est inde ab apostolorum temporibus, ut pro hæreticis et a corpore Christi præcisis haberentur, qui errores clare damnatos ab Ecclesia tuerentur, eamque inerrantiæ prærogativam Ecclesia exhibuit perpetua ac perspicua praxi.

3. Cum Ecclesia sancta sit, et sponsa Christi jure nuncupetur, necesse est ut, quod in cultu Dei superstitiosum ac vanum sit, ab eo, quod justum et sanctum est, discernat, itemque suos doceat; deinde ut in se contineat medium quo quisque fidelium catholicæ Ecclesiæ adherere se certò cognoscat, ac de apostolica origine doctrinæ et sacerdotii plenissimè convincatur.

4. Quia mysteria divinitatis ac religionis humanum captum longè superant, necessarium non est, ac ne quidem fieri omninò potest, ut ratione comprehendantur: rationis ergo officium in eo est, ut veritas Ecclesiæ ex indicis ac notis indagetur, ac perspicatur; tum verò dogmata ab Ecclesia fidelibus proposita firmissimo arripiantur, teneanturque assensu. *Auctoritati credere*, inquit S. Augustinus (de quantitate animæ c. 7), *magnum compendium est et nullus labor.* Nec verò pro multo maxima hominum parte alia discendi via poterat designari.

ARTICULUS III.

IN HUNC FINEM, UT ECCLESIA SIT, MANEATQUE UNA, SANCTA, CATHOLICA ET APOSTOLICA, A CHRISTO INSTITUTA EST POTESTAS SACRA, ET IMPERIUM SACRUM.

ARGUMENTUM.

§ I. *Electio apostolorum et Petri.* II. *Institutio supremi capituli in Ecclesia.*—*Designata Matth. 16.—Et Luc. 22—Peracta Joan. 21.* III. *Institutio apostolatus.* IV. *Ejus functiones.* V. *Christus non omnia determinavit.* VI. *Apostoli determinant politicam sacram.* VII. *Eligunt ministros et successores.* VIII. *Agunt conventus.* IX. *Curam aliquam temporalium habent.* X. *Cuncta agunt ad finem Ecclesie.* XI. *Triplicem potestatem exercent.*

§ I.

ELECTIO APOSTOLORUM ET PETRI.

Altero jam prædicationis anno, cum multis locis cælestes veritates docuisset divinus Servator, multosque paulatim discipulos allegisset, status et imperii publici fundamenta jecit, nec sine solemnitate: *exit enim in montem orare; et erat pernoctans in oratione Dei; et cum dies factus esset, vocavit discipulos suos, et elegit duodecim ex ipsis, quos et apostolos nominavit, Simonem, quem cognominavit, Petrum, et Andream, etc.* (Luc. VI, 12, 13, 14). Hos duodecim Christus a sua cujusque vocatione præ cæteris instruxit, rebusque a se gestis interesse voluit, ut deinceps testes earundem coram universo mundo esse possent: *Eritis mihi testes in Jerusalem,—et usque ad ultimum terræ* (Act. I, 8). Hinc in locum Judæ non alius postmodum substitui potuit, quam qui simili testimonio dando par esset (Ibid. 21, 22). Cæterum ad hoc munus vocavit Dominus, *quos voluit ipse* (Marc. III, 13). Nam, ut observavi § LXXI, (1) in arbitrio ac potestate solius Dei est definire modum aut constituere nuntios, per quos voluntatem et veritates a se revelatas notas facere hominibus velit, neque exigere quisquam potest, ut sibi loquatur Deus aut portenta oculis suis exhibeat. Sed in prima hac sacri imperii institutione duo observanda sunt maximè.

1. Ex omni discipulorum numero seligit ac segregat *duodecim* eosque *apostolos* nominat, nondum episcopos eo tempore a se consecratos; nec verò, etsi postea caractere episcopali donavit, id posebat ratio apostolatus, quæ in missione ac functione prædicandi evangelii, veritatesque Evangelicas, si opus sit, prodigiis confirmandi sita est.

2. Uti ex discipulis apostoli deliguntur, sic ex apostolis deligitur *unus*, tanquam primus et caput reliquorum, eique singulare nomen *Petri* seu *petræ* inditur; quo quidem modo mysterium unitatis inchoatum fuit, paulo post perficiendum.

§ II.

INSTITUTIO SUPREMI CAPITIS IN ECCLESIA.

Segregato duodenario numero ex omnium discipulorum multitudine, et Petro ex duodecim apostolis delecto legem fundamentalem publici Ecclesie status

(1) Ista et alteræ laudationes, quæ sæpè videbuntur in hoc et sequenti capite D. Zallinger et in ipsis non reperiuntur, ad cæteros libros referende sunt operis, ex quo prædicta capita excerpimus, *Institutionum*, nempe *Juris naturalis, et ecclesiastici publici.*

posuit Dominus. Hæc lex in eo collocata est, ut totius corporis constitueretur unum caput visibile, quod omnia membra in unitatem fidei et charitatis attraheret, et in ea contineret; sive ut totius ædificii conspicuum poneretur fundamentum, cui singulæ et universæ illius partes imponerentur, ac stabiliter inhaerent, aut denique (ut de sacro codice nihil prætermittamus in hac re) ut universo gregi unus præset pastor in unitate fidei, ac communionis, essetque unus inter fratres, qui reliquos fratres, gregis partem tenentes, in fide et charitate confirmaret. Unitas fidei et charitatis per media naturæ hominum accommodata, nempe ea, quæ in sensus caderent, conciliari primo debuit, et conservari, hinc in regno cælorum supremum ac visibile *caput* constituitur, cui claves regni traduntur; hinc ædificii *fundamentum* ponitur, cui omnis inædificatio inniti debet; hinc universo gregi unus pastor, isque supremus præficitur; denique unus deligitur inter fratres, qui gregis partem tenent, ut omnes in unitate fidei et charitatis sua doctrina, exemplo, auctoritate et potestate confirmet. Totum id in Petro inchoatum, ac veluti perfectum est, cum is in successoribus suis unitatem fidei et charitatis seu communionis conservare non cesset. Nihil igitur mirum, quod divinus Servator, cum rem tantam ac perpetuo mansuram aggrediretur, publicam, ac solemnem fidei professionem, paremque charitatis testificationem ab eundem exegerit. Hæc institutio supremi capituli, et fundamenti, et universalis pastoris, ac primi fratris maximè ad jus publicum ecclesiasticum pertinet; quapropter ex sacro codice proferenda sunt, et quantum necesse est, illustranda testimonia indubitata ejus institutionis, et interpretatione authentica, quam una dat Ecclesie infallibilis auctoritas, deinde confirmanda.

1. Initium profecto ejus institutionis fit a fide in Christum, sine qua impossibile est placere Deo. Eam Deus singulari gratia inspiravit Petro, ut fides Ecclesie immota esset, ac digna, quæ tam admirabilis ædificii fundamentum fieret, utque solemnem et immutabilem confessionem protraheretur in lucem: *Venit Jesus in partes Cesaree Philippi, et interrogabat discipulos suos, dicens: Quem dicunt homines esse filium hominis? At illi dixerunt: alii Joannem Baptistam, alii autem Eliam, alii vero Jeremiam, aut unum ex prophetis. Dicit illis Jesus: Vos autem quem me esse dicitis? Respondens Simon Petrus dixit: Tu es Christus, filius Dei vivi. Respondens autem Jesus dixit ei: Beatus es Simon Bar-Jona; quia caro et sanguis non revelavit tibi, sed Pater meus, qui in cælis est. Et ego dico tibi, quia tu es Petrus; et super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam, et portæ inferi non prævalent adversus eam. Et tibi dabo claves regni cælorum, et quodcumque ligaveris super terram, erit ligatum et in cælis; et quodcumque solveris super terram, erit solutum et in cælis* (Matt. XVI, 13, seq.). Animadvertite:

2. Cum Christus mysterio unitatis in Ecclesia constitutæ extremam manum imponere vellet, ut inquit Bossuetius (1), non jam plures alloquitur. Petrum nominatum compellat, ac novo quidem, quo illum donaret, nomine compellat. Unum unum alloquitur; Christus Jesus, Dei filius, Simonem Jonæ filium; Jesus Christus, qui est vera petra ac per sese firma, Simonem, qui petra non est, nisi virtute, quam Christus cum eo communicat. *Et ego, ait, dico tibi: Tu es Petrus, et super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam; tibi dabo claves regni cælorum.*

3. *Ecclesiam suam* Christus super hanc petram ædificandam dicit, et claves regni cælorum Petro tradendas unum est regnum cælorum; una est Ecclesia per

(1) In oratione de unitate Ecclesie ad publicum cleri conventum habita.

totum orbem diffusa, sive catholica, quæ tota et universa supra petram ædificatur, eique velut fundamento innititur.

4. De clavibus regni cælorum in hunc modum commentatur Cl. episcopus Nicolaus Cœffeteau (1): "Vix ac ne vix quidem in animum induxerit sanæ mentis homo, Christum tot, ut ita dicam, ceremoniis circa Petrum usum, ut efficeret nihil. Quid igitur sibi volebat splendor ille verborum: *Et tibi dabo claves regni cælorum?* Sanè quoties Scriptura utitur metaphora clavium, significat potestatem non quamlibet, sed eximiam quamdam ac singularem. Itaque cum apud Isaiam vellet Deus significare, daturum se *Eliacim* summam auctoritatem in aula regia, dixit: *Dabo clavem domus David super humerum ejus, et aperiet, et non erit qui claudat, et claudet, et non erit qui aperiat* (Isa., XXII, 22). Hoc enim de eximia quadam et singulari auctoritate Scriptura interpretata est. Et apud Lucam (Luc., XI, 52). Christus: *Væ vobis, legisperiti, qui tulistis clavem scientiæ, id est, qui vobis arrogatis summam auctoritatem interpretandi Scripturam.* Et in Apocalypsi, ut Christus indicaret, se unum habere potestatem vitæ et mortis, et occidere posse, et ad vitam revocare, dixit se habere *clavem mortis ac inferni* (Apocal., I, 18), id est, summam vitæ ac mortis potestatem et imperium. Et rursus ut indicaret se esse omnium maximum in regno David, dixit se habere *clavem domus David* (Ibid., III, 7). Ergo pari ratione hoc loco, cum sit Petro dictum a Christo: *Tibi dabo claves regni cælorum, eximia quoque ac singularis aliqua potestas Petro concessa est.*"

5. Fidei et unitatis inter fratres conservandæ solidissimum firmamentum in fide Petri constitutum a Christo fuisse, non obscurè docet ea Servatoris asseveratio, ac præceptio Petro facta in ultima cœna. Ait Dominus: *Simon, Simon, ecce Salanas expelivit vos, ut cribraret sicut triticum: Ego autem rogavi pro te, ut non deficiat fides tua; et tu aliquando conversus, confirma fratres tuos* (Luc., XXII, 31, 32). Tria hæc animadvertenda sunt; postulatio Satanæ de cribrandis apostolis; oratio Christi, ne Petri fides deficeret; et cura ei delata confirmandi fratres.

6. Nulla fuit dæmoni adversus apostolos potestas, nisi Deo permittente; quemadmodum de Job constat (Job, I, 12; II, 6). Metaphora ex tritici cribratione ducta mirè exprimit discrimina quibus servos suos periclitatur Deus, quo puriores et sanctiores efficiat. Cribrandi vocabulum usurpat Amos, ut Judæorum ærumnas ac dispersionem significet: *Concutiam in omnibus gentibus domum Israel, sicut concutitur triticum in cribro* (Amos, IX, 9).

7. Cur pro Petro imprimis orat Christus? Respondet S. Leo: *Commune erat omnibus apostolis periculum de tentatione formidinis, et divinæ protectionis auxilio pariter indigebant; quoniam diabolus omnes exagitare, omnes cupiebat elidere; et tamen specialis a Domino Petri cura suscipitur, et pro Petri fide proprie supplicatur, tanquam aliorum status certior sit futurus, si mens principis victa non fuerit* (2). Vulnerata est Petri fides, cum negaret Christum, non extincta; vivebat in mente fidei radix, statimque per pœnitentiam resloruit, uti Calmetus ex Patribus observat in commentario hujus loci. Ac tum quidem promissum potius summi principatus, quam principatum ipsum tenebat. *Petrus Ecclesiæ præponitur, postquam tentatus a diabolo est; ideoque ante significat Dominus quid sit illud, quod postea eum pastorem elegit dominici gregis* (3).

(1) L. I, c. 7, in Apologetic. pro sacra monarchia adversus temp. Marc. Ant. de dominis.
(2) Sermonem LXXXIII, c. III, in nat. apost. Petri et Pauli, edit. Venet.
(3) S. Ambros. in Psalm. XLIII, v. et inter gentes, prope finem.

8. Officium confirmandi fratres in fide, Petro injunctum apertius indicant ea verba: *Conversus confirma fratres tuos*, quam ut declaratione egeant. *Conversus Petrus ad bonam frugem, et ventilatus sicut triticum, fit panis, qui nobis esse alimentum—fit æternæ vitæ et salutis alimentum*, subdit Ambrosius eodem loco. In hunc sensum et S. Bernardus ait: *Oportet ad vestrum referre apostolatam pericula quaque, et scandala emergentia in regno Dei, et præcipuè quæ de fide contingunt. Dignum namque arbitror, ibi, potissimum resarciri damna fidei, ubi non possit fides sentire defectum. Hæc quidem hujus prærogativa sedis. Cui enim alteri aliquando dictum est: Ego pro te rogavi, Petre, ut non deficiat fides tua. Ergo quod sequitur, a Petri successore exigitur; et tu aliquando conversus, confirma fratres tuos* (1).

9. Hactenus dicta eo valent, ut in confessione fidei edita ab Apostolo Petro, vel potius ut in ipso Petro ob præclarum fidei meritum, unitas fidei, quam Ecclesia a Christo fundata profitetur, esse constituta intelligatur. Reliquum est, ut indicetur quomodo idem charitatis seu communionis veluti commune centrum sit a Christo designatus. Id contigit post resurrectionem Servatoris, quando primatus ac sacer principatus Petro antea promissus reipsa collatus est. *Jam tertio manifestatus est Jesus discipulis suis*, inquit S. Joannes (C. XXI, 14, seq.), *cum resurrexisset a mortuis. Cum ergo prandissent, dicit Simoni Petro Jesus: Simon Joannis, diligis me plus his? Dicit ei etiam: Domine, tu scis, quia amo te. Dicit ei: Pasce agnos meos. Dicit ei iterum: Simon Joannis, diligis me? Ait ille: Etiam Domine, tu scis, quia amo te. Dicit ei: Pasce agnos meos. Dicit ei tertio: Simon Joannis, amas me? Contristatus est Petrus, quia dixit ei tertio, amas me, et dixit ei: Domine, tu omnia nosti: tu scis quia amo te. Dixit ei: Pasce oves meas. Amen, amen dico tibi, cum esses junior, etc.* Ita sollemnis, atque iterata charitatis testificatio posebatur ab eo, quia omnes unitate fidei conjunctos in charitatis et communionis unitatem debebat attrahere, atque in eadem continere. Tria hic pariter animadvertenda sunt:

10. Verba Servatoris ad Petrum singulariter, ut ita dicam, sive exclusis aliis apostolis, etsi presentibus, tum quidem directa sunt; quod palam fit, tum ex nomine Simonis Petri iterum, iterumque repetito, tum ex interrogationis vi: *Diligis me plus his?* Id est plus quam alii hic præsentibus; denique ex prænuntiato mortis genere, quod Petrum manebat præ aliis.

11. Ex usu Scripturæ verbum *pascere*, non ad solam doctrinam vel institutionem referri potest; cum idem locis plurimis auctoritatem et potestatem regendi, ac gubernandi significet; uti cum Israelitæ ad Davidem dicerent: *Ecce nos os tuum et caro tua sumus; sed et heri et nudius tertius cum esset Saul rex super nos, tu eras educens et reducens Israel; dixit autem Dominus ad te: Tu pasces populum meum Israel* (II Reg. V, 1, 2). Sic et Cyrus pastor nominatur (Isa., XLIV, 28).

12. Petro tanquam pastori universus grex, omnes agni, omnes oves committuntur. *Habent episcopi*, inquit S. Bernardus, *sibi assignatos greges, singuli singulos tibi universi crediti, uni unus, nec modo ovium, sed et pastorum tu unus omnium pastor: unde id probem quæris? Ex verbo Domini, pasce, etc.* (I. III, de consid., ad Eugen.)

(1) S. Bernard. epist. 190, alias opusculo XI, ad Innocent. II.

§ III.

INSTITUTIO APOSTOLATUS.

Institutionem sacræ in catholica Ecclesia potestatis, et quidem supræmæ ac universalis in Petro factam vidimus. Ordo poscit ut quid potestatis a Christo sit collatum in apostolos, aliosque designatos ministros videamus. Ac 1. idem cum Petro delecti ex reliquo discipulorum numero, constituti sunt apostoli (§ I). 2. "In novissima dein cœna Deus ac Dominus noster, qua nocte tradebatur, ut dilectæ sponsæ suæ Ecclesiæ visibile, sicut hominum natura exigit, relinqueret sacrificium corpus et sanguinem suum sub speciebus panis et vini Deo Patri obtulit, ac sub earundem rerum symbolis, apostolis, quos tunc *novi Testamenti Sacerdotes* constituerebat, ut sumerent, tradidit, et eisdem, eorumque in sacerdotio successoribus, ut offerrent, præcepit per hæc verba: *Hoc facite in meam commemorationem*; uti semper catholica Ecclesia intellexit, et docuit (1)." 3. Post resurrectionem primò apparens *discipulis congregatis, stetit in medio et dixit eis: Pax vobis. Et cum hoc dixisset, ostendit iis manus et latus; gavisissimi sunt discipuli viso domino. Dixit ergo eis iterum: Pax vobis. Sicut misit me Pater, et ego mitto vos. Hæc cum dixisset, insufflavit, et dixit eis: Accipite Spiritum sanctum. Quorum remiseritis peccata remittuntur eis: et quorum retinueritis, retenta sunt* (Joan., XX a v. 19). Hanc quidem sive similem potestatem dudum ante, sed tamen post constitutum jam Petri primatum, apostolis promisit Dominus. *Amen dico vobis, quæcumque alligaveritis super terram, erunt ligata et in cælo: et quæcumque solveritis super terram, erunt soluta et in cælo* (Matth., XVIII, 18). 4. Denique ante gloriosam Christi ascensionem undecim discipuli abierunt in Galilæam, et accedens Jesus, locutus est eis, dicens: *Data est mihi omnis potestas in cælo et in terra. Euntes ergo, docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris et Filii et Spiritus sancti: docentes eos servare omnia, quæcumque mandavi vobis. Et ecce ego vobiscum sum omnibus diebus, usque ad consummationem sæculi* (Matth. ult.) S. Marcus eadem narrans nonnulla addit: *Dixit eis: Euntes in mundum universum prædicate Evangelium omni creaturæ. Qui crediderit, et baptizatus fuerit, salvus erit: qui verò non crediderit, condemnabitur. Signa autem eos qui crediderint hæc sequentur; in nomine meo demonia ejicient, linguæ loquentur novis, serpentes tollent, et si mortiferum quid biberint, non eis nocebit; super ægros manus imponent, et bene habebunt. Et Dominus quidem Jesus, postquam locutus est eis, assumptus est in cælum, et sedet a dextris Dei. Illi autem profecti prædicaverunt ubique, Domino cooperante, et sermonem confirmante sequentibus signis* (Matth., ult.). 5. Fideles dicuntur superædificati super fundamentum apostolorum et prophetarum (Ephes., II, 20). Et Ecclesiæ tanquam civitatis sanctæ *murus habet fundamenta duodecim et in ipsis duodecim nomina, duodecim apostolorum agni* (Apoc., XXI, 14). De hac apostolis concessa potestate, diligenter animadverti necesse est sequentia:

1. In hac apostolatus institutione ratio muneris episcopalis et ratio apostolatus cum extraordinariis juribus ac donis conjuncta necessariò distinguendæ sunt et distinguuntur ab ipsis sectariis (2). Extraordinaria fuerunt apostolorum jura,

(1) S. Concil. Trid. sess. XXII, c. 1. Doctrin. de sacrificio missæ.

(2) Moshemius, in hist. christ. sec. I, p. II, § 3; "Duo, inquit, munera in apostolis sunt distinguenda, munus doctoris, et munus legati extraordinarii summa cum potestate divinitus mis-

ut quaquaversus prædicare possent, baptizare, docere, et fundare ecclesias, et constituere episcopos; et præscribere tum episcopis a se constitutis, tum eorum subditis regulas vivendi, quemadmodum ab apostolo Paulo factitatum novimus. Accessit linguarum ac miraculorum donum, et inerrantiæ privilegium, quo singuli apostoli gaudebant in dijudicandis iis quæ ad fidem moresque pertinebant (1). Hæc extraordinaria fuerunt, nec in successores necessario derivari debebant, cum essent propria illius temporis, quo divinus sanguis pro redemptione hominum effusus cito ac in universo orbe uberes fructus proferre, et veritas religionis ex ipsa celeri amplaque diffusione ac propagatione illustrari comprobari debuit. Ab hisce ergo extraordinariis apostolatus juribus necessario segregandum est munus episcopale, quod in apostolis institutum est, et ab iis in alios deinceps serie non interrupta propagatum.

2. Quæ Petro dicta sunt a Christo Domino et in Petro instituta jura sacri principatus, eadem ad Petrum qua fundamentum totius Ecclesiæ, qua pastorem universalem et primum inter fratres, qui reliquos fratres confirmare debebat, pertinebant; id quod luce meridiana clarius ex ipsis verbis et adjunctis patet. At commania erant Petro cum reliquis apostolis ea quæ hic commemorata sunt jura et officia potestatis sacræ: neque enim, cum ea in apostolos conferrentur, Petrus aberat, neque in alium, aliosve magis, quam in Petrum cadebant. Unde perspicua et inconcussa sequitur conclusio. Petrum quoad jura extraordinaria apostolatus reliquis cœquatum fuisse, et reliquos Petro cœquatos. Qua, non obstante æqualitate, salva manebat prærogativa, et integer ac salvus Petri primatus quo reliquis singulis et omnibus prælatus est, quo constitutus est fundamentum totius Ecclesiæ, proindeque et apostolorum, qui præcipua Ecclesiæ membra fuerant; quo factus est pastor universalis; quo denique fratres confirmare in fide debuit: unde eisdem sigillatim post resurrectionem suam Dominum apparuisse novimus (Luc. XXIV, 34). Ex his non obscure intelligitur, quomodo, non obstante æqualitate apostolici muneris, singularis prærogativa, seu potius sacer Petri principatus habuerit locum: *Quoniam et inter beatissimos apostolos, ut inquit S. Leo M. in similitudine honoris fuit quedam discretio potestatis; et, cum omnium par esset electio, uni tamen datum est ut cæteris præemineret* (Epist. XIV, edit. Venet. olim. XII).

3. Etsi potestas collata in apostolos et conjunctim in Petrum, dimittendi peccata et retinendi, alligandi ac solvendi, sit quædam potestas clavium, dicaturque a catholicis omnibus, non tamen ea in sacris litteris *clavis* nomine exprimebatur, et magnopere differt a clavibus jam ante sigillatim Petro commissis, quæ *claves regni cælorum*, id est, totius Ecclesiæ nuncupantur, neque solam in singulos sub-

si. Illud quidem munus in posteros derivatum est, non item hoc." Vera falsis admiscet Moshemius, uti fit ferè ab hoc hominum genere, quando de rebus religionis disserunt. Verum sanè ac verissimum illud est, aliam exstitisse apostolorum potestatem extraordinariam, quæ regulariter cum episcopatu ad eorum successores non transiit, aliam ordinariam, quæ transiit; sed perquam falsum est illud, ordinariam potestatem duntaxat doctorum fuisse, non etiam pastorum et rectorum Ecclesiæ, qui potestate cum ordinis, tum jurisdictionis gaudebant, eandemque in suos successores transmittabant.

(1) Ita Concilium œcumenicum V, collat. VIII sentit: "Licet Spiritus sancti gratia et circa singulos apostolos abundaret, ut non indigerent alieno consilio ad ea quæ agenda erant; non tamen aliter voluerunt de eo quod movebatur, si oportet gentes circumcidi, definire, priusquam, communiter congregati, divinarum Scripturarum testimoniis unusquisque sua dicta confirmaverunt."

ditos potestatem, sed sacrum in universa Ecclesia principatum et imperium denotant (1).

§ IV.

APOSTOLATUS FUNCTIONES.

Ut potestatis sacræ in Petro imprimis, dein et apostolis institutæ ratio, indoles ac natura intimius perspiciatur, ejusdem exercitium, atque usum quem apostoli faciebant ipso nascentis Ecclesiæ principio, quo abundabat gratia divini Spiritus, considerare convenit. Jussi sunt prædicare fidem Jesu Christi, credentes baptizare, et instruere in præceptis a Christo datis. Igitur exercitium potestatis acceptæ primò ac præcipuè in prædicatione fidei, administratione sacramentorum et instructione morum consistebat:

1. Prædicatione fidei. 1. Complectebatur demonstrationem veri Dei, destructionem idololatriæ, cultusque dæmonum, mysterium incarnationis ac redemptionis generis humani, gratiam Christi in remissionem peccatorum, spemque æternæ salutis datam, media per quæ ea gratia acquiri, conservari, augeri debebat. 2. Necessitatem ejus fidei ad obtinendam salutem apertè docebant apostoli, cautosque reddebant credentes, ne doctrinis novis abduci se vel latum unguem paterentur ab integritate et constantia professionis christianæ: *Fratres, state et tenete traditiones, quas didicistis, sive per sermonem, sive per epistolam nostram* (II Thess. II, 14). *Miror quod tam cito transfermini ab eo qui vos vocavit in gratiam Christi, in aliud Evangelium. O insensati Galatæ! quis vos fascinavit non obedire veritati?* (Gal. I, 6; III 1)? *Multi seductores exierunt in mundum. Omnis qui recedit, et non permanet in doctrina Christi, Deum non habet. Si quis venit ad vos, et hanc doctrinam non affert, nolite recipere eum in domum, nec ave ei dixeritis: qui enim dicit illi ave, communicat operibus ejus malignis* (I Joan. 7 10-11). 3. Denique declararunt, ac definierunt dubia in causis fidei exorta: *Si circumcidamini inquit Paulus, Christus vobis nihil proderit; evacuati estis a Christo, qui in lege justificamini, a gratia excidistis* (Gal. V, 2, 4). Sic decisum ac definitura est, gentes ad gratiam baptismi admittendas (Act. X, 47); ac legalium observationem in lege nova haud necessariam esse (Ib. XV, 28).

2. Qui prædicationem et verbum fidei amplectebantur, baptismo tincti numero sanctorum adjungi et Ecclesiam ingredi censebantur: *Qui receperunt sermonem ejus (Petri) baptizati sunt, et appositæ sunt in die illa animæ circiter tria millia* (Act. II, 41). Cum igitur baptismus communionem bonorum spiritualium ac jus percipiendi alia sacramenta conferret, satis erat Christo apostolos mittenti dicere: *Prædicate, baptizantes eos*; neque distinctione aliorum sacramentorum, juriumque et obligationum mentione opus fuit. Contra de non baptizatis aiebat Paulus: *Quid mihi de iis, qui foris sunt, judicare?* (I Cor. V, 12) In eos ergo, qui intus erant, jurisdictionem ac potestatem sacram exercebat, cui per ipsum baptismum subiciebantur. Collato *baptismo*, aliis etiam sacramentis tum administrandis, tum conferendis occupabantur, sacramque potestatem exercebant apostoli, quosque ipsi hac potestate donarunt. Sic de *confirmatione* fit mentio. Act. VIII, 17, et ibid. XIX, 6. De *eucharistia*, I Cor. XI, a. v. 23; Act. II, 42. De *pœnitentia*, II, Cor. II, 1; Joan. I, 9. De *extrema unctione*, Jac. V, 4. De *ordine*, Act. VI, 6, ib. XIII, 2; I

(1) Maldonat. comment. in Evang. Matth. c. XVI, v. 16.

Tim. IV, 14; II Tim. I, 6. Denique de *matrimonio*, Ephes. V, 32, I Cor. VII, Hebr. XIII, 4.

3. Annuntiata fide et collato baptismo, per quem jurisdictioni ecclesiasticæ subiciebantur credentes, præcepta vitæ ac morum proponebant apostoli tum generalia de spernendis caducis rebus, fugiendaque concupiscentia carnis, oculorum ac superbia vitæ, et consecrando fine cælestis beatitatis, tum specialia de officiis statuum, conjugalis, herilis, parentalis, civilis. Definiunt abstinendum esse fornicatione, quam, si simplex esset, gentes profanæ inter gravia scelera vix numerabant (Act. XV, 29). Ac Paulus quidem non modo universum naturæ jus omniaque officia perfecta et imperfecta, sed etiam omnem rationem *decori* paucis verbis proponit observandum fidelibus: *De cætero, fratres, quæcumque sunt vera, quæcumque pudica, quæcumque justa, quæcumque sancta, quæcumque amabilia, quæcumque bonæ famæ, si qua virtus, si qua laus discipline, hæc cogitate* (Phil. IV, 3).

§ V.

CHRISTUS NON OMNIA DETERMINAVIT.

Potestas sacra apostolis commissa versabatur, uti mox indicavi, in promulgandis et exponendis mysteriis fidei, in doctrina et administratione sacramentorum, denique in morum informatione. Hæc *præcipua* ejusdem, non tamen *sola* fuerunt objecta. Ut de generibus aliis, in quibus versari debebat apostolica auctoritas, distinctius cognoscatur, animadvertendum est Christum Dominum non minutim omnia præscripsisse quæ pro temporum locorumque ratione in Ecclesia fieri, omittive, præcipi, aut vetari deberent; sed potestatem eadem sancienti apostolis eorumque successoribus reliquisse, unaque appromississe Spiritum sanctum, a quo dirigerentur in regenda Ecclesia, et docerentur omnem veritatem. *Adhuc multa*, inquiebat divinus Magister, *habeo vobis dicere, sed non potestis portare modo. Cum autem venerit ille Spiritus veritatis, docebit vos omnem veritatem* (Joan XVI, 12, 13). Ita nempe in oratione ante mortem ad suos habita divinum benignissimè pollicitus est Spiritum, a quo docerentur, quæ a se non audierant in præscribenda disciplina temporum rationi accommodata, aut quæ audita ab ipso etiam post resurrectionem, cum per dies quadraginta identidem eos videret, non ritè intellecturi erant, etsi pertinerent ad immutabilem fidei, morumque honestatis, aut divini juris positivi doctrinam: *Docebit vos omnia, et suggeret vobis omnia quæcumque dixerò vobis* (Ib. XIV, 26). Ex his inferes:

1. In jure sacro complete sumpto alia determinata sunt a Deo lege positiva aut necessaria; alia potestate humana, sed tamen sacra et ab ipso Deo concessa; cui quidem potestati dubium non est quin ex divino præcepto respondeat obtemperandi obligatio. *Si Ecclesiam non audierit inquit Dominus, sit tibi sicut ethnicus et publicanus* (Matth. XVIII, 17). *Qui vos audit, me audit; et qui vos spernit, me spernit* (Luc. X, 16). *Obedite præpositis vestris*, inquit divinus Spiritus per os doctoris gentium, *et subjacite eis* (Hebr. XIII, 17).

2. Secundum hæc consilia et voluntatem Dei Ecclesia perindè, ac multò etiam magis, ac quævis alia societas indiget ordine ac directione externa per leges, judicia, ministrorum inspectionem ac curam, ut *omnia honestè et secundum ordinem fiant*, quemadmodum Paulus animadvertit (I Cor. XIV, 40); cum ipsa et latissimè pateat et perpetuis inferorum machinationibus atque insultibus exposita sit; maxi-

mique momenti censi debeat id quod in negotio salutis ac divinæ religionis perperam aut rectè fit. Quapropter exponenda sunt præcipua capita, in quibus determinandis apostolorum potestas versabatur ultra ea quæ de prædicatione et expositione fidei, de doctrina atque administratione sacramentorum, morumque informatione paulò ante indicata sunt (1).

§ VI.

APOSTOLI DETERMINANT POLITICAM SACRAM.

In obeundo divino cultu, in conventibus sacris, in perceptione sacramentorum, preceationibus publicis usu donorum Spiritus sancti, quibus fideles tum abundabant, necessariò politia quædam et ordo constitui ac temporibus accomodari debuit. Huc igitur referri debent præcepta atque ordinationes:

1. De usu et abusu agapes (I Cor. XI, a v. 18).
2. De dono linguarum et vaticiniorum (Ibid. c. XIV).
3. De honestate cultus mulierum in ecclesiis (I Cor. XI, 5); et interdicto iisdem publicè loquendi ac docendi officio (Ibid. XIV, 34).
4. De orationibus publicè fundendis pro regibus et omnibus qui in sublimitate sunt (I Tim. II, 2).
5. De ministerio viduarum pro variis functionibus religionem attingentibus (Ibid. V, 9).
6. Dubium non est quin de jejuniis leges statuerint apostoli, haud immemores divini effati: *Venient dies, cum auferetur ab eis sponsus et tunc jejunabunt* (Matth. IX, 15). Similiter de vigiliis, ritu sepulturæ, celebratione paschatis, aliorumque dierum solemnium præcepta et consuetudines ab apostolica ætate et origine deinceps derivata fuisse, exploratum est.

§ VII.

ELIGUNT MINISTROS ET SUCCESSORES.

In delectu novorum ministrorum Ecclesiæ, ordinatione eorundem, statuque vitæ et morum informando, apertissimè exercuit se et emicuit apostolorum singularis auctoritas et potestas. Crescebat in dies evangelica messis, quæ operarios desiderabat ipisque paulatim deficere ac resolvi se sentiebant; contra Ecclesiam usque ad consummationem sæculi permansuram et didicerant, et vehementer obtabant. Quapropter de ministris varii ordinis, atque imprimis de successoribus deligendis ordinandis atque informandis cogitare atque agere debebant. *Ego jam delibor*, scripsit Paulus Timotheo suo, *et tempus resolutionis meæ instat; festina ad me venire citò* (II Tim. IV, 6, 8). Et princeps apostolorum: *Justum arbitror*, inquit, *quandiu sum in hoc tabernaculo suscitare vos in commonitione: certus, quod velox est depositio tabernaculi mei* (II Pet. I, 13, 14). Tria sunt autem in hoc negotio, in quibus apostoli jus suum plenissima libertate ac potestate exercuerunt. *Primum est delectus eorum*, quos ad ecclesiastica munia promovendos judicaverunt; *secundum*, ipsa eorundem promotio, *ordinatio*, consecratio; *ter-*

(1) De utroque genere juris sacri, determinata lege divina vel humana, accuratè disserit S. Thomas, I, 2, q. 108, art. 1 et 2.

tium, regulæ seu canones, quos delectis et ordinatis ad vitæ munerisque informationem præscriperunt.

1. In deligendis ministris Ecclesiæ, pastoribus et successoribus ipsi apostoli determinarunt qualitates quibus it, ut deligi possent, præditi esse debebant. *Oportet episcopum irreprehensibilem esse, unius uxoris virum, doctorem, non neophytum; oportet illum et testimonium habere bonum ab iis, qui foris sunt* (I Tim. III, 2, 6, 7). *Considerate viros ex vobis boni testimonii septem, plenos Spiritu sancto, et sapientia, quos constituamus super hoc opus* (Act. VI, 3). De qualitate apostoli in locum Judæ suffecti supra annotavi, quod ad rem præsentem æquè pertinet (Supra § I). Ex his primordiis irregularitates postea provenerunt.

2. Promotio ad ministerium sacrum non fiebat sine sacra ceremonia ac solemnitate sacramentali, quæ in manuum impositione, præmissis etiam orationibus, ac jejuniis sita erat, et a solis apostolis et ordinatis ab iisdem episcopis peragebatur. De viris septem a multitudine discipulorum præsentatis ad diaconatum: *Hos*, inquit sacer codex, *statuerunt ante conspectum apostolorum, et orantes, imposuerunt eis manus* (Act. VI, 6). Si ad solam œconomiam et administrationem peculii destinandi diaconi erant, quemadmodum erroneè quidam asseruerunt; cur tam sollicitè desiderarunt apostoli viros plenos Spiritu sancto et sapientia? quid præviis orationibus ac impositione manuum fuit opus? De solemnitate electione et consecratione Pauli et Barnabæ mentio fit Act. XIII, 2, 3, et Tito episcopo Paulus mandat ut constituat per civitates presbyteros (Tit. I, 5).

3. Canonum denique ministris Ecclesiæ præscriptorum plenæ sunt binæ Pauli epistolæ ad Timotheum, dein ea quæ ad Titum data est. Hos ad observanda, quæ præceperat cum potestate adstringit: *Hæc tibi scribo, ut scias, quomodo oporteat te in domo Dei conversari* (I Tim. III, 14, 15). *Formam habe sanorum verborum, quæ ex me audisti* (II Tim. I, 13). Generales vitæ morumque regulas Ecclesiæ pastoribus reliquit ipse apostolorum princeps: *Pascite, qui in vobis est, gregem Dei, providentes non coactè, sed spontaneè, secundum Deum, neque turpis lucri gratia, sed voluntariè: neque ut dominantes in cleris, sed forma facti gregis ex animo* (I Petr. V, 2, 3).

§ VIII.

AGUNT CONVENTUS.

Ad officium apostolatus sine dubio pertinebat jus ecclesiasticos conventus, et velut sacra comitia celebrandi, ac de rebus Ecclesiæ et nascentibus controversiis ac turbis consulendi in medium. Istiusmodi conventus ac consultatio fiebat: 1. Pro redintegrando apostolorum numero atque electione Matthiæ, Petro tanquam capite negotium proponente (Act. I, 15); 2. Pro electione septem diaconorum, ac intestino dissidio sopiendo; cum Judæi hellenistæ adversus alios Judæos conquirentur de neglectu viduarum suæ nationis in distribuendis vitæ subsidiis. Quo tempore munia partientes apostoli dixerunt: *Nos orationi et ministerio verbi instantes erimus, cura temporalium aliis relicta* (Act. VI, 4). Ita nimirum Ecclesia tanquam ordinatissimum corpus diversis jam tum constabat membris, non eundem actum habentibus, ad quæ aptæ continenda opus erat compage legum, per quas sua cuique membro officia et functiones describerentur (Rom. XII, 4, 5, item I Cor. XII, 22 seq.). Sic et Paulus declaravit: *Non misit me*